


«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (66)

4.15.11. De instructione aquaria

Instructio aquaria singulorum aedificiorum monasterialium diu erat problema, quamquam regio, in quā monasterium Ottiliense situm est, generaliter aquā non caret. Tamen iterum iterumque difficultates exortae sunt, quibus ad hanc aquam perveniretur, cum superficies aquae subterraneae videlicet in altitudine satis profundā inveniretur atque variae putei fossiones non semper ad effectum aptum ducerentur.

Mense Octobri a. 1904¹, cum aedificium Sanctae Catharinae in seminarium mutaretur, contigerat, ut fontes recenter inventi circumcluderentur atque aqua antiā adhibitā in aedificium seminarii duceretur.¹ Tota condicio hunc in



Aquaria condicio generalis relatione anni 1903¹ descripta.

modum tamen nondum erat soluta. Cum autem anno 1911^o magno aedificio vetus monasterium Sancti Andreae amplificabatur, omnino necessarium erat, ut pro totā aedificiorum compositione solutio mansura inveniretur.

Hōc inceptum nihilominus non tam facile ad effectum ducebatur. Ut problematis aquae non sufficientis mederetur, in fine mensis Augusti a. 1911ⁱ in fontium areā horti seminarii sic dicti puteus profundus fodi coeptus est.

¹ Cfr Chron. Ottil., m. Oct./Nov. a. 1904; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.) 1, p. 23 (ASO, A.14.0); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 304.

Praecogitata erat profunditas decem metrorum atque amplitudo trium metrorum, cum antlia in ipsum puteum insereretur.² Sed iam in fine mensis Septembris apparuit altitudinem provisam non sufficere, cum usque ad profunditatem undecim semis metrorum fossum erat neque ad eventum satisficientem perventum erat. Suspiciebatur necessarium esse, ut usque ad altitudinem quattuordecim metrorum foderetur, ut ad copiam aquae satis magnam perveniretur.³ Mense Novembri deinde stratum aquosum inveniebatur.

Eodem tempore praeterea de solutione efficace mansurāque, quae ad aedificium monasteriale pertinebat, cogitabatur. Deliberationes vero praecipuae ad turrim aquariam erigendam dirigebantur.⁴ Hac in quaestione Ottiliani cooperabantur cum Monacensi officinā Iohannis Schneider, quae specialiter perita erat in apparatusibus hydraulicis conficiendis et quae plura proposita exaravit.⁵ Hōc in conexū videntur plura loca atque plures variationes ad futuram turrim aquariam spectantes respici potuisse,⁶ quae quidem - verisimiliter etiam ex causis pecuniariis - denique reiciebantur. Probatum tunc est propositum, quo in tecto monasterii Sancti Andreae turris in altitudinem septem metrorum extenta receptaculum aquarium 60 metrorum cubicorum


2 Cfr Ann. Ottil. 3, 28.8.1911, p. 115 (ASO, A.3.4.3); Chron. Ottil., m. Aug. a. 1911.

3 Cfr Ann. Ottil. 3, 25.9.1911, p. 117 (ASO, A.3.4.3); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 305. - Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.) 1, p. 32 (ASO, A.14.0) pro illo tempore - versimiliter per errorem - fodiendi altitudinem duodecim semis metrorum indicat.


4 Breviter de turri aquaria aedificata cfr Ann. Ottil. 3, 25.9.1911, p. 117; m. Oct. a. 1911, p. 118; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.) 1, p. 32 (ASO, A.14.0); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 305.

5 Ex parte Ottilianā munere rectoris aedificatorii functus est P. Dominicus Enshoff illius temporis cellerarius.

6 Cfr 1) Fa. Johann Schneider: Kostenvoranschlag Wasserversorgungsanlage, 3.5.1911: turris aquaria in colle orientali monasterii: altitudo turris: 10,5 m, amplitudo receptaculi: 250 m³, sumptūs praecalculati: 30.000 M; 2) Fa. Johann Schneider: Kostenvoranschlag, 3.5.1911: turris aquaria in loco altissimo horti monasterialis extruenda: amplitudo receptaculi: 250 m³, sumptūs praecalculati (dependentes de genere fistularum): 29.100 M / 28.960 M; 3) Fa. Johann Schneider: Kostenvoranschlag, 3.5.1911: receptaculum altum extruenda in turri iam exstante ad ecclesiam monasterialem versā: amplitudo receptaculi: 250 m³, sumptūs praecalculati (dependentes de genere fistularum): 14.100 M / 13.960 M; 4) Fa. Johann Schneider, Kostenvoranschlag, 6.9.1911: receptaculum aquarium et apparatus antliae: altitudo turris superpositae: 7 m, amplitudo receptaculi: 60 m³, sumptūs praecalculati: 14.500 M (ASO, Bauarchiv 1.1.41.0.0.1x).



*Delineatio receptaculi
superior pars*



inferior pars

continens erigeretur, cum officina opera efficiens muro, quo turris ibi inveni-
nienda, sed nondum confecta circumcludebatur, uti voluit.⁷

Aedificatio turris, receptaculi aquarii et apparatus hydraulici mense Septem-
bri a. 1911ⁱ incohabatur atque mense Decembri a. 1911ⁱ conficiebatur.⁸



Turris aquaria monasterio Sancti Andreae superstructa.

7 Cfr Fa. Johann Schneider: Kostenvoranschlag, 20.9.1911: turris aquaria in muro exstante efficienda cum receptaculo alto 60 metrorum cubicorum: sumptūs praecalculati: 12.200 M (ADO, Bauarchiv 1.1.41.0.0.1x). - Haec praedispositio praecomputatione sumptuum (29.9.1911) (ASO, Bauarchiv 1.1.41.0.0.1x) paulo mutata est, cum fortificatio murorum, receptaculi fundamenti calcestro structi et columnarum calcestro ferrato factarum respicerentur, sed quaedam materiae structoriae, quas Ottiliani ipsi praeberunt, de pretio detraherentur, ita ut sumptūs 12.400 marcarum exspectabantur.

In Ann. Ottil. 3, m. Oct. a. 1911, p. 118 (ASO, A.3.4.3) sumptūs fore 10.000 marcarum indicatur.

8 Cfr Ann. Ottil. 3, m. Oct. a. 1911, p. 118; 22.11.1911, p. 122 (ASO, A.3.4.3); Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.) 1, p. 32, p. 33 (ASO, A.14.0).

Ottiliani speraverunt - ut videtur iure meritoque - hac constructione problemata instructionis aquariae omnibus in aedificiis monasterii ablatum iri.⁹ Tamen non omnes aspectū, quem turris aquaria aedificio Sancti Andreae superposita praebebat, erant contenti. Annalista scripsit turri «*aedificium indicibiliter depravari*»¹⁰ et etiam Archiabbas Norbertus Weber, postquam ex visitationis itinere in Coream atque Africam Orientalem facto revertit, nullo modo hac re delectatus erat.¹¹

Sed antequam Ottiliani novis condicionibus technicis earumque effectū frui potuerunt, puteum effodere atque aquam continuo expromere prospere cedere debuit. Mense Novembri a. 1911ⁱ fodiendo revera in aquarium stratum sufficiens perventum est,¹² quae aqua tamen sursum in receptaculum intermedium et inde in fistulas varias atque in turrim aquariam perferenda erat. Itaque scilicet antlia in ipso puteo instructa erat necessaria atque motro in superficie indigebatur, quo antlia impellebatur. Labores per totam hiemem durabant, cum antlia primo iterum iterumque difficultates praeberet.¹³ In fine mensis Martii a. 1912ⁱ denique instructio aquaria¹⁴ et mense Decembri a. 1912ⁱ lapidea domuncula puteum circumdans, quae mense Septembri eiusdem anni construi coepta erat, confici potuerunt.¹⁵

4.15.12. De villis

Inceptum scitū dignum ex conexū aedificatorio hic breviter commemoretur. Agitur de nonnullis aedificiis profanis, quae tamen non pertinent ad opificinas vel oeconomiam.

Iam satis mature - adhuc tempore P.ris Andreae Amrhein - cogitatio exorta

9 Ut Maria HILDEBRANDT (2008), p. 305 adnotat, Ottiliani ab Landsbergensi magistratū regionali vituperati sunt, quia licentiā magistratūs non acceptā aedificare coeperant.

10 Ann. Ottil. 3, m. Oct. a. 1911, p. 118 (ASO, A.3.4.3). - Etiam Maria HILDEBRANDT (2008), p. 305 rem breviter commemorat.

11 Turris aquaria in aedificio Sancti Andreae erecta est exemplum illius condicionis, qua unā ex parte postulata aesthetica et desiderium merae efficacitatis alterā ex parte maxime differentes esse possunt. Hōc in casū tamen considerandum est etiam actum esse de quaestione sumptuum, praeterea de deliberatione, quomodo talis turris aspectui aedificii adaptata conformari potuerit.

12 Cfr Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.) 1, p. 32 (ASO, A.14.0).

13 Cfr Ann. Ottil. 3, 31.3.1912, p. 127 (ASO, A.3.4.3).

14 Cfr Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.) 1, p. 36 (ASO, A.14.0).

15 Cfr Ann. Ottil. 3, 26.10.1912, p. 133 (ASO, A.3.4.3); Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.) 1, p. 36 (ASO, A.14.0); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 306.

est, quā habitationes exstruerentur, quas Ottiliani benefactoribus atque hospitibus maioris momenti sic dictis inter eorum commorationem Ottiliensem praebere voluerunt, ne tales hospites in hospitio, cauponā pristinā Ambingen-si, pernoctare cogerentur. Tamen demum anno 1903^o haec idea ad effectum adducenda suscipi potuit.¹⁶

Secundum consilia praevia primo duae villae sic dictae aedificarentur, quarum numerus vero paulo post in tres auctus est. Initium aedificandi erat mense Aprili a. 1903ⁱ.¹⁷ Hae tres domūs, quos Tutzingensis architectus Michael Kurz praedisposuerat,¹⁸ in parte occidentali hospitii illius temporis erigebantur, et hoc quidem in lineā in occidentem quoque directā.

Facta sunt tria aedificia vere pulchra elegantiaque, quae proiecturis, turribus scalariarum maenianisque praedita sunt. Hae domūs quoad structuram inter-



Delineatio villae primae in serie exstructae.

16 De villis breviter etiam Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 315 sq.

17 Cfr Chron. Ottil., m. Mart./Apr. a. 1903; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.) 1, p. 22 (ASO, A.14.0). - Scitū dignum est licentiam aedificandi demum die 6^o m. Maii a. 1903^o praebitam esse (ASO, A.14.5.5), in quā praeterea quaedam condiciones respiciendas exhibentur. - Paulus Sauter die 14^o m. Oct. a. 1903^o sumptūs computavit, quibus tres villae aedificarentur, et ad summam pecuniariam 26.170 marcarum pervēnit (ASO, A.14.4.5).


18 Michael Kurz Sororum monasterium Tutzingense anno 1904^o aedificaverat. Praeterea postea magnum opus exhibuit, cum anno 1911^o nova Ottiliensia aedificia monasterialia praedisposuit atque etiam descriptiones cappellae abbatialis in novo aedificio Praelatorum sic dicto exaravit. - Cfr supra cap. 15.6.1.



Delineatio villae secundae intermediae.


nam inter se aliquatenus similes sunt, sed extrinsecus proiecturis diversis, diversis formis maenianorum, aliā dispositione proiecturarum maenianorumque nihilominus bene distinguuntur.

Unicuique domui praeter cellarium atque pedeplana etiam sunt duo tabulata, cum secundum tabulatum sit subtegulaneum. Villa prima in pedeplanis duo



Ichnographia villae primae.

conclavia, culinam atque balneum habuit, in primo tabulato tria conclavia atque cellam quandam, in tabulato subtegulaneo unum conclave unamque cellam atque spatium quoddam horrei. In villā mediā pedeplanis inveniebantur



Ichnographia villae secundae mediaeque.

tur duo conclavia, duae cellae atque culina, in primo tabulato tria conclavia atque balneum, in tabulato subtegulaneo unum conclave atque duo spatia horrei. Tertia villa maxime in occidente horum aedificiorum sita pedeplanis



Delineatio villae tertiae maxime in occidente sitae.

habuit duo magna conclavia (in ichnographiā medianum atque exedrium appellata), culinam atque magnum vestibulum, in primo tabulato tria con-

clavia atque balneum.¹⁹ Ex ichnographiis et ex mensuris ibīdem indicatis apparet, quamquam inter se similes sunt, illa tria aedificia inter se differunt, quod attinet ad magnitudinem, cum ultima vero domus huius seriei esset maxima earum.

Mense Septembri a. 1903ⁱ omnes tres villae confectae erant atque ante initium hiemis ad habitandum paratae erant.²⁰ Illae tres villae denique etiam



Tres villae a meridie receptae.

nomina acceperunt. Tunc primae domui seriei nomen «Cordis Iesu» attributum est, mediae nomen «Cordis Mariae» atque ultima secundum «Sanctum Iosephum» appellabatur. Unicuique autem domui in frontispicio imago relevata nomini congruens affixa est. Haec opera Monacensis pictor sculptorque Aloisius Miller²¹ confecit.²²

Exemplum autem notatu dignum «hominum egregiorum», quibus possibilitas in villā quādam habitandi ad tempus praeberetur, est parochus Antonius Hauser.²³ Idem notus erat propter operositatem suam sociale et praesertim

19 Huius villae ichnographia tabulati subtegulanei non exstat.

20 Cfr Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.) 1, p. 22 (ASO, A.14.0).

21 Aloisius Miller artifex anno 1903^o etiam ecclesiae abbatialis altare principale baldachino circumdatum exaravit.

22 Hanc rem breviter commemorat Maria HILDEBRANDT (2008), p. 316.

23 Antonius [Anton] Hauser, natus die 14^o m. Oct. a. 1840^o in vico Gundremmingen regionis Ginsburgensis [Günzburg], die 31^o m. Iul. a. 1864^o sacerdotio auctus est ab Augustano episcopo Pancratio von Dinkel. Deinde primo munere cappellani oppidani Lindaviae [Lindau] functus est, sed iam anno 1868^o officium magistri religionis in schola Instituti

ut fundator primae «Christianae Consociationis Operariorum», quam anno 1874^o unā cum Georgio Lenz atque Francisco Beeh Augustae Vindelicum condidit. Antonii Hauser coniunctio cum monasterio Ottiliensi initium cepit anno 1896^o, quo ille ad vires suas nimiis laboribus exhaustas restituendas spatio temporis aliquatenus longiore in hoc monasterium se receperat.²⁴ Haec bona coniunctio cum monasterio et cum monachis Ottilianis, quae illo tempore incohata erat, permansit. Ita factum est, ut Antonius Hauser mense Martio a. 1912ⁱ, cum munere solutus esset, ad Abbatiam Ottiliensem transmigraret et in una ex villis habitaret.²⁵ Cum autem graviter aegrotavit, Ottiliani Fratres infirmarii eum curaverunt.²⁶ Antonius Hauser die 21^o m. Iul. a. 1913^o vitā functus est Abbate Norberto Weber atque Abbate Bonifatio Sauer Seulensi praesentibus.²⁷ Die 25^o m. Iul. a. 1913^o Antonius Hauser in coemeterio Ottiliensi sepultus est.²⁸

In conexū autem villarum aliud quōque aedificium nominandum est, quod

Beatae Mariae Virginis Augustae Vindelicum siti suscepit. Iam satis mature in quaestiones sociales incubuit praesertim ad operarios spectantes, quibus inductus est, ut anno 1874^o Augustae Vindelicum primam Christianam consociationem operariorum fundavit, cuius praeses usque in annum 1909^{mm} mansit. Scopus huius consociationis erat in eo, ut operarii bene ordinarentur atque curā quōque animarum sustentarentur. Tamen etiam ultra Augustam Vindelicum conspectum suum ad hoc propositum convertit, cum non solum tales consociationes operariorum condendas totā in dioecesi Augstanā curavit, sed etiam in «Germaniae meridionalis Associatione catholicarum Consociationum operariorum» efficiendā participavit. Antonius Hauser evidenter erat vir optimā indole praeditus, cuius plurimae res intererant. Ipsi scientia atque experientia erant fundamentum agendi, cum unus ex eius scopis - etiam in consociationibus operariorum - erat in eo, ut scientia traderetur, ut homines ad scienter atque suo arbitrio agendum erudirentur. Anno 1873^o episcopus Pancratius von Dinkel Antonium Hauser consiliarium siprituale reddidit et anno 1896^o titulus papalis praelati honorarii [*Monsignore*] ei attributus est. - De vitā operibusque Antonii Hauser *cfr* Hermann MORS: Anton Hauser. *In*: Wolfgang HABERL (ed.) (1993), pp. 307 sqq.; David GANTNER: Der letzte Garten. *In*: Mbl 118/3, 2023, pp. 12 sq.


24 In archivo Ottiliensi photographema anni 1896ⁱ invenitur, quo Antonius Hauser conspicitur cum tribus monachis cooperans in xystis coemeterii instituendis.

25 *Cfr* Ann. Ottil. 3, 13.3.1912, p. 125 (ASO, A.3.4.3); Chron. Ottil., m. Febr. Mart. a. 1912.

26 *Cfr* Ann. Ottil. 3, 11.6.1913; 12.6.1913, p. 148 (ASO, A.3.4.3); Chron. Ottil., m. Iun. a. 1913.



27 *Cfr* Ann. Ottil. 3, 22.6.1913, p. 148 (ASO, A.3.4.3); Chron. Ottil., m. Iun. a. 1913.

28 *Cfr* Ann. Ottil. 3, 25.6.1913, p. 148 (ASO, A.3.4.3). - Chronista prolixè rettulit de exsequiis, quas magnus numerus Praelatorum, sacerdotum, consociationum varii generis participaverunt. *Cfr* Chron. Ottil., m. Iun. a. 1913.



Delineatio villae Ottiliensis.


nonnullis annis post in latere septentrionali illarum trium villarum erectum est, nempe Villa Ottiliensis illo tempore sic dicta.²⁹ Haec domus secundum




*Villae Ottiliensis ichnographiae
pedeplanorum
primi tabulati.*

²⁹ Cfr Maria HILDEBRANDT (2008), p. 316. - Mirum in modum aedificatio Villae Ottiliensis in Chron. Ottil. 1908 non indicatur; etiam Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.) 1 (ASO, A.14.0) hanc domum aedificatam non commemorat.

descriptio architecti Augustani Henrici Dauner anno 1908^o aedificata est.³⁰



Delineatio villae Ottiliensis ex parte meridionali monstratae.



Delineatio villae Ottiliensis ex parte orientali monstratae.

30 Henricus Dauner praeter delineationes etiam ad unamquamque partem aedificationis (velut opera muraria, opera claustraria, opera tignaria, opera pictoria etc.) proposita pecuniaria singillatim exaraverat atque ad summam circiter 20.000 marcarum pervenerat (ASO, A.14.4.5). Die autem 30^o m. Iun. a. 1908^o contractus (etiam a Norberto Weber subscriptus) cum ergolabo structorio Xaverio Pittrich ex vico Türkenfeld initus est (ASO, A.14.4.5), quo idem secundum delineationes consiliaque Henrici Dauner villam Ottiliensem exstrueret «*prorsus confectam et sub omni aspectū habitabilem*» summā pecuniariā certā 12.000 marcarum.

Huic aedificio erant in summa sex oeci, pedeplanis iuxta culinam atque minoribus oecis duo conclavia magna, in primo tabulato tria conclavia magna



Tres villae hospitum et post easdem Villa Ottiliensis desuper receptae.

atque peristylum maenianumque tectum continebantur et in tabulato subtegulaneo aliud quōque conclave inter magnos oecos horrei inveniebatur.³¹ Est autem haec domus maior quam villae hospitum. Eius scopus erat in eo, ut alii quōque hospites atque participes cursuum exercitiorum reciperentur. Villa vero Ottiliensis, postquam confecta est, per viginti quinque annos mansit immutata.

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 240, 2025, pp. 169-180]

31 Cfr ASO, Bauarchiv 1.1.2.0.0.1.x.